

**www.e-rara.ch**

**Cosmographiae Universalis Lib. VI. in quibus iuxta certioris fidei  
scriptores, sine omni cuiuscunque molestia, vel laesione describuntur**

**Münster, Sebastian**

**Basileae, [1572]**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-135810>

De Regno Sueciæ

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Historiam quam de Alberto rege Sueciæ reportauit, ipsa quoque accessit Suecia. At hanc tantam de Olauo spem, mors immatura præscidit. Et cum iam tot regnis nullus hæres masculus superesset, omnia in personam reginæ Margarethæ concedunt, Daniæ quidem regnum ex patre, Norduuegiæ ex filio & Sueciæ ex uictoria. Fuit mira huius foeminae industria, ut circumiens puincias & regna omnia lustrauerit, prouiderit, pacem ubique fouerit. Per singulas arces ueteribus, missis nouos præfecit reuerentibus boni. Ita factum est, ut longæua pace sub foemina florerent regna. Mirum dictu, quod uiri reges non poterant, foeminam potuisse. Cum uero regina senio laboraret, adoptauit Ericum ducem Pomeraniæ, trium regnorum moderatorem. Post eum Christophorus Bavarus tenuit trium regnorum gubernacula annis nouem. Christiernus inde rex rerum potitus, comes de Oldenburg & Delmenhorst, relictam Christophori ducens coniugem: trium regnorum gubernacula dotem accepit. Deinde Ioannes Christierni filius regnis præsedit, & post eum filius eius Christiernus, etiam Sueciæ proprium constituit regnum. Hoc uero Christi anno 1548. quando hæc scribo, regnis Daniæ & Norduuegiæ præsidet inclytus rex Christianus, de quo supra in Daniæ.

Mulieris in  
regnando  
prudentia.



## DE REGNO SUE- CIAE. Cap. XXVI.

### SERENISSIMO AT- que potentissimo principi ac domino, Do-

mino Gostouo Suecorum, Gothorum, Vuandalorum, &c. regi, Domi-

no suo clementissimo, Sebastianus Munsterus summam præ-  
catur felicitatem.

**A**gitur iam quartus annus Serenissime & potentissime Rex, quando tua maiestas ob dedicatam uulgarè Cosmographiæ meæ additionem, literas gratia & regio fauore plenas unâ cum munere regia liberalitate digno, ex tam longinqua & retrusa Septentrionis regione ad me transmisit, animumque tam propensum erga me declarauit, ut planè ad primam literarum conspectum obstupuerim atque non parum admiratus fuerim tantam regiae maiestatis dignationem. Subijt tunc in mentem id quod antea de tuæ maiestatis clementia & humanitate mihi prædicauerat eximius doctissimusque uir dominus Georgius Normannus, tuæ maiestatis ab intimis consilijs, hac transiens meque humanissime inuisens. Quare paulisper respirans, coepi eandem literas familiariter amplecti exoscularique, & subinde anxiam mentem reuoluerem, quo nam pacto aliquando gratum ergo tuam celsitudinem ostenderem animum. At tanta sunt tuæ Maiestatis merita, ut etiam nullam eorum partem referenda gratia consequi possim. Solatur interim me illud Plinianum, rusticos etiam lacte dijs supplicare, & gentes multas, quæ thura non habent, mola salsa litare, id quod Moses in Leuitico uocat *לֶחֶם מִן הַבַּיִת*. Nec ulli fuit uitio datum, deos colere quoque modo posset. Sic quidem gentiliū habuerunt ritus. In rebus denique honestis & reipublicæ utilibus, uel solus conatus laudi datur. Certè ego studiosorum more pro auro & argento rependo animum gratum ac chartas, felices ne an miseras, aliorum esto iudicium. Feci quod potui, non quod uolui. Nolim propterea mihi hic fraudi dari, quod mutila quædam ac manca foras profero, & forsitan multa indigesta, uereor ne quædam inter se pugnantia, ut historici non ubique sibi consentiunt. Temporum

DDD 4 ruditati

ruditati id expensum feramus oportet, quæ unica causa fuit, cur nullos ferè rerū ueterū in plerisque terris & regnis idoneos habeamus cōmentarios. Sudamus hic oēs, & rerū gestarum ueritatē uel ex detritis & characterib. signatis lapidibus, uel ex antiquis corrolis numismatibus, aut etiam ex ipsis sepulchris & ruderib. querere cogimur, ubi diplomata & doctorum uirorum nobis desunt certa testimonia & monumēta. Præstat enim & hæc fragmenta antequā omnino pereant colligere, id quod unicum in uniuerso hoc opere studiū meum fuit. Coniunxi noua ueteribus & rursum uetera nouis, quo sic ueteris darem nouitatē, nouis auctoritatem, obsoletis nitorē, obscuris lucē, fastididis gratiā, dubijs, quoad fieri potuit, fidem. Nec dubito multa esse, quæ & me & coadiutores meos præterierint fugerintq̃. Homines enim sumus, ad uaria distracti, succisuiusq̃ nostra curamus tēporibus. Ceterū nomini nō patebit, quid molitus fuerim in hoc opere ultra id quod antea in Germanica æditione euulgauī, ciuitatū scilicet descriptionibus superaddendo earum picturas & icones. Siquidem pulchrum iudicauī, ciuitatū & locorū peculiaribus descriptionibus, subiungere quoq̃ earundem effigies & figuras, ubi eas assequi licuit. Scripsi semel aut bis in Sueciam pro Stockholmia, totius regni primariæ urbis genuina effigie, sed, quod dolens refero, nihil impetraui. Idem quæror de Dania & Angliæ regijs. Sollicitaueram quoq̃ pro diligentiori Suecici regni descriptione, & spes aliqua iam affulserat cōsequēdi hoc desideriu, uerum nescio quid obstiterit, quò minus quod uolui obtinuerim. Aut literæ meæ in tā prolixo itinere sunt interceptæ, aut quod missum est simili periculo obnoxium fuit. Certè Germaniæ proceres & ciuitatū antesignani à me passim excitati, pulchrè suo responderunt officio, etiam si quibusdam fortassis meum institutum non placuerit, atq̃ ob id nihil miserint, quod potuisset & sua loca atq̃ meam exornare Cosmographiam. Quæ de florentissimo tuæ maiestatis regno hic feribo, ex recētioribus scriptoribus, maximè autē ex Krantio, Ziegler & Olao magno desumpsi. Quædam etiam coram à fide dignis uiris accepi. Quare si hic in uno aut altero loco est peccatum, tua maiestas id meæ non imputet temeritati aut oscitantia. Nihil enim chartis illeui, nisi quod ab alijs accepi. Boni ergo hanc meam operam consulat tua maiestas, quam dominus Deus diu saluam ingloriam nominis sui conseruet. Basileæ in Ianuario, anno à Christo nato M. D. L.

DESCRIPTIO SVEONIAE SIVE SVETIAE. Cap. XXVII.



Stockholmia regia ciuitas.

Sueoniam siue Suetiam, & ut uulgò appellant, Sueciam, nunc scrutabimur, florentissimum & latissimū aquilonis regnum, paucisq̃ attingemus situm eius, antiquitates, res gestas, prouentus & diuitias. Habet hæc regio ab occidua sui parte Gothos, à Boreâ Vuermilanos cum Scricfinnis, ab oriēte Finlandiam & Russiā, & ab austro Balticum mare. Est etiam hæc regio inter aquilonares fertilissima, ager frugib. & melle optimus, diues argenti, aris, plumbi, ferri & pecuris, locuples immenso prouētū pisciū ex fluminibus, lacubus, & mari, uenationibus quoq̃ ferarum. In summa, Suecia duplo dicitur excellere regnū Norduegiæ, in magnitudine, in populo, metallis & alijs prouentib. Est tamen in multis locis aspera, montosa & paludiosa, ut non ubiq̃ equitib. & currib. peruia sit. Est in ea Stockholmia urbs mediocris, regia & emporium Suecorum, munita natura & arte. Ea sita est in paludib. instar Venetiarum, inde

sortita nomen, quod sita in aquis, fundamenta sint palis stabilita. Mare eam ingreditur duobus ramis tam largis aquis, ut naues onerariæ extensis uelis & toto onere inuehantur. Hæc urbs anno post Christum natum 1407. insigni affecta est clade de cælo. Nam fulmine tacta, penè tota cōflagrauit. Perierunt in ipso incendio ad mille sexcentum homines Fœminæ quoq̃ plures & sine numero puellæ, nauibus res suas inuexerunt cum paruulis. Aderant & uiri nō pauci. Prius quàm uerò soluerent, ingruebat promiscuum uulgus incendia declinans, & oppletæ naues tāta multitudine subsederunt, merferūtq̃ omnem illam multitudinē. Est hæc regio peregrinis mercibus plena, quod domesticis rebus

rebus abundet ad commutationem faciendā, pellib. preciosis ac metallis abundans. A Norduegis & Danis, altissimorum iugis montium discernitur. Incolæ prædicatur hospitalitate esse insignes, ut etiam omni probro grauius ducant, hospitium denegare transeuntibus, ita ut sit certamen, quis aduenam hospitem excipiat. Populi Suenonum sunt multi, uiribus & armis egregij, equis & manib. æquè fortes, strenuicq; aut mari aut terra bellatores. Angermanniæ ducatus tenet septentrionalia ad confinia Laponiæ: eius tractus est totus syluosus, & ibi inter præcipuas feras uenātur uros & bisontes, quos patria lingua uocantur *Elg*, id est asinos syluestres. Aiunt autē bisontē animal esse deforme prolixitate iubarū, & reliquo corpore seuerum, cerui figura media fronte inter aures habē

Bisontes:



cornua. Nos hic utcunq; eius expressimus figurā. Midelpathia ducatus australior Angermānia, post quē Heilingia ducatus, Gestritia ducatus, Fieringia ducatus, Vpsalia ciuitas metropolitana: Coperdalia ducatus, id est, Cupri uallis: item Dalecarli gens potēs armis. Oplandia ducatus. Totus tractus Oplandiæ habet fossiones argenti cupri & chalybis. Nicopia urbs insignis, cum munitissima arce. Kolmol nemus dilterminat Sueciā à Gothiā, à Nicopia uersus lacum Veter extensum. Habet etiam Suatia episcopatus aliquot. Archiepiscopus enim Vpsalensis hos habet suffraganeos, Arosinensem, Scarensem, Straginensem, Aboensem, Lincopensem, Vuescionensem.

Oplandia ducatus  
ues metallis.

## DE REGIBVS SVECIAE. Cap. XXVIII.

Recensebimus hic quæ de populo Suetico uetustissima inuenire potuimus. Et quidem ad primā eius originem recurrere mihi & fortassis alijs, impossibile est. Ab ea ergo memoria sumendū est dicendi principiū, quæ prima relata est in literas. Aetate ab hinc lōgissima & longe ante Christum natū apud Suecones, ut Saxo Grammaticus habet, Sichtrugus rerum potiebatur. Eo autē in prælio occiso, Gram uictor, rex Daniæ Sueciā sibi subijcit. Sed Suibdagerus Norduegiæ rex expugnās, Gramū regē, primus triū regnorum unicus fit moderator. Quod idem post tot secula cernimus usq; ad nostrā ætatem saepe cōtigisse. Inde Hasmūdus Suibdageri filius in Suecia & Norduegia patri sut rogatur. Vffo post patrē Hasmundū, & Hindinus post Vffonē, atq; deinde Hundingus regem. Deinde Regnerus Hundingi filius ad Sueciæ regnum peruenit. Successit ei filius Hotbrodus, qui dum imperiū amplificare contēdit, illud cum uita amisit,

Tria regnū  
habēt unū  
regem.

*Suecia fit du-  
catus tribu-  
tarius.*

*Alricus rex  
Sueciae tēpo-  
re Christi.*

*Gothi egres-  
si Sueciam.*

& tunc Suecia Danicę coronę paruit. Atislaus atq; Hotherus Hotbrodi filij sub tributo regi persistendo, paternam ditionem Suecię suscepērunt. At Rolfo Danię rex oppressio Atislo in pręlio, regnum sine rege subesse Danię in reliquum uoluit. Tunc Hiartuarus genere Suecus tantam emeruit apud Rolsonem laudem ut illi Sueciam præfecturę nomine, hoc est, ducali titulo permetteret, cōstituens quę solueret annua tributa. Et quo magis sibi fidem faceret, sororem illi suo connubio sociauit. Stabat in hoc re- rum statum Suecica aliquandiu, donec Hiartuarus tandem Rolsonem obtruncat, & ipse uicissim à Danis transfoditur. Tunc Hotherus Atisli Suecię regis Germanus, uacuatam paterni regni sedem, magno procerum fauore occupauit, Danięq; regnū facile sui iuris effecit. Sed quam facile obtinuit tanta animorum leuitate post breuē amisit, Baldero illum Dania excludente. Cadente paulo post Hothero in bello, proceres Suecię Atislum uirū regij sanguinis regem creant, pertasi alieno subesse longius imperio. Hic transfiliuntur aliquot secula, in quib. nihil magnum aut præclarum de Suecis recoli- tur, an ipsi Danorum imperio paruerint, aut Dani ipsis obtemperauerint. Alricus circa tempora Augusti Cesaris Suecorum regno præfuisse memoratur. Quo occiso Ericus ortus Norduegia uir ingenio, lingua, manuq; promptus, uictor Alrici, Suecię gubernacula subit. Tempus hoc erat, quod Dei filius de cœlis descendens, mortalē nostrā induit naturam. Haldanus Erici filius patri in regno Suecię successit, quo interfecto, filius eius Siuuardus patrijs regnis hæres successit. Deinde Ericus Siuuardi ex filio nepos, Frotonis Danię regis filius, materno auo successit in scepra Suecię. Quo in bello perempto, Haldanus Suecię regno potitur, uir solis armis innutritus, & qui cōiugio aut liberis non studuit. Hic tandem signauit quem post se Suecię regem uoluisset, nempe Vnguinum, qui moriens Siuualdo filio reliquit tā Danię quàm Suecię regna. Regnaldus inde Suecorum regno potitus est, & post eum Aluerus unus ex primoribus procerum Suecię. Inde Ingo maior natu inter tres Alueri filios scepris paternis iustis & legitima successione potitus fratribus. Olauo atq; Ingello ditiones suas secreuit, ipse totius regni iura moderaturus. Quo cum fratre in Danico bello caeso, Ingellus permittēte uictore scepra paterna arripit. Ringo puer patri Ingello successit in regno, & post eum Gotarus: quo in Danico bello oppresso, regnum Suecię cæsis Iarmerico Danorum regi, idq; circa annum Christi 380. Quo tempore Gothi longe antea ex Sueciā & Gothia egressi magnū fecerunt Romanis in Italia, Gallia & Hispania negotiū: Gothi autē qui in sua semper patria perstiterunt, Suecię regno adunati, unis Legib. & scepris semper paruerunt.

QVI REGES PRAEFVERINT SUECIAE POST CAROLVM  
Magnum. Cap. XXIX.



*Primus  
Christianus  
rex Suecię.*

Christi religionem publicē acciperet, & in fonte sacro lotus, Iacobi nomen suscepit. Fuerunt

Hic ob defectum annalium saltum magnum facimus, à Iarmerico ad Fro regem Suecię transeuntes, qui Suecię regnum tunc tenuit, quando Ludouicus Caroli Magni filius Romano præsidebat imperio. Interfecto autem Fro à mulieribus Norduegię, Herotus ei surrogatur in regno Suecię, atque illi Sorlus succedit, qui uictus à Regnero rege Danię, Biorni Regneri filio reliquit regnum, qui cum aliquot annis Suecię rebus præfuisset, concessit in fata, successitq; ei Vuichsertus alius Regneri filius, & Vuichserto substitutus est Ericus tertius Regneri filius, qui ab Osteno regij sanguinis uiro uictus & oppressus, illi principatum reliquit. At Erici fratres ulciscētes fratrem, Ostenum regno deturbauerunt, perueniuntq; regni scepra ad Sturbiornum Biorni regis filium. Hunc regno eiecit Ericus Olauo filius Regneri nepos, sine amulo potitus regno Suecię. Potitur deinde Olauus Erici filius post patrem in regno, primus in regibus Suecię, qui


Fuerunt quidem priuatim plurimi, qui iam dudum in eo regno à memoria diui Ansharij Christi iugum assumpserat. Erat annus post Christum natum 1000. cum in Romano imperio ageres diuus Henricus Imperator. Post Iacobum Emundus frater eius ex concubina natus, solo nomine Christianus, ad sceptrum succedit, nec satis fuit rebus bello gerendis fortunatus. Stinkel deinde optimus rex, Sueciæ sceptris succedit, suscepitq; in diebus eius Christi religio in Suecia maximum incrementum. Hic rex exterminauit idololum, quod gens illa Vpplolæ habuit, toto regno uenerabile, successitq; postea in eum locum archiepiscopus Vpsalensis. Mortuus est autem rex iste circa annum Christi 1100. Erici deinde duo de regno non sine multo nobilium sanguine contenderunt. Halstenus superioris Stinkel filius, legitimo iure post duos Ericos mutuo se pralio conficientes, rex esse promeruit, sed qui mox populari tumultu regno fuit deiectus, & Animader ad regnum reuocatus. Is quum rigorem religionis non emitteret, iterum fuit regno depulsus. Aquinus tum regno surrogatur. Cui successit Magnus filius Nicolai regis Daniæ, quem Gothi pertæsi crebræ in Suecia mutationis, sibi regem ascuerunt, iterum se à corpore regni separantes, uel sperantes reliquum sibi Sueciæ accedere, ut sub unius regis, quem ipsi delegerant imperio, omne regnum esset. Sueci autem ueteri suo iure creandi regem se depelli non ferentes, suo regem arbitratu creandum esse putauerunt. Unde suæ gentis hominem ad regnum prouehentes, Gothorum regem contempserunt. Gothi autem sententiæ suæ pertinaciter inhaerentes nouum Sueciæ regem bello aggressi, opprefferunt, & Magno à se regi electo, regni sedem uacue fecerunt. Aliquandiu ergo ille Gothis & Suecis imperauit. Sueconem Sueci post Magnum erexere regem, cui filius Carolus succedit, quietus in regno suo per omnia tempora Vualdemari regis Daniæ, cuius sororem habuit uxorem. Successit Carolo Ericus, qui pacem habuit cum corona Daniæ, & peruenit ad annum Christi 1249. Quo satis absumpto, Birgerium magno dissidio regem fecerunt. Is post se regem reliquit Vualdemarum. Qui dum peregrinationem suscepisset in terram sanctam, Magnus frater eius occupauit regnum interitum, nec tota uita sua restituit. Successit Magno Birgerius: qui dum sibi securus regnare putaretur, ab Erico fratre captus in diuturna uincula cõjicitur, tandemq; liberatus ex carcere, filium Magnum regni consortem facit. Reuocatus autem Birgerius ad memoriam quid à fratribus aliquando passum fuerat, iubet euocari fratres nihil à fratre reformidantes, exhilaratosq; conuiuio, facit eos interfici. Res proceribus execrabilis uisa, omnes in uindictam excitauit. Nam eo fugato cum regina filium Magnū capite plectunt, & Magnum Erici (quem Birgerius obruncauit) filium ad regnum sublimant. Is usq; ad eod in regno prosperatus est, ut adiuuante uirtute & fauente fortuna, regno Sueciæ Norduegiam quoq; cõsociaret, factus rex duorum regnorum. Is cõcessit in fata 1328. relicto Magno filio, successore duorum regnorum.

Vpsalo olim locus uane religionis.

Gothi imperant Sueciæ.

Parricidium fratrum.

Successio regum proximè enumeratorum.



Magnus 7. despondit filio suo Aquino Germanam comitis Holsatiæ, hac conditione, quod nisi Aquinus eam puella acciperet, omnes proceres regni liberi essent à sacramento regis, nauigante ergo puella in Sueciam, comprehensa est à Vualdemaro rege Daniæ, & Margaretha filia ipsius Vualdemari despõfata Aquino. Quod uidentes proceres Sueciæ, negauerunt regi deinceps præstare fidem, quin missi à comite Holsatiæ ad Albertum ducem Magnopolensem socerum eiusdem comitis, & qui Eufemiam regis sororem uxorem

uxorem habuit, filium eius Albertum eligunt regem, atq; destituerunt Magnum. Tunc Magnus uidens se destitutum, arma mouet una cum Aquino in Albertum, sed nihil potuit, tandemq; extra regnum obiit. Albertus uero in regno confirmatus, regio instructus apparatu, in Magnopolim suam enauigauit, curiam in Vuismaria indicturus. Interim Margareta filia Vualdemari regis Daniæ & regina Norduegiæ post mortuum Aquinum maritum cum paruulo filio Olauo, duo regna gubernas, Alberto regi Sueciæ se obiecit, excitatoq; utrinq; magno exercitu, regem Albertum cum Erico filio capit, & in captiuitate septem annis tenuit sicq; tertium regnum duobus cõiunxit, & ex illo die penè semper permansere coniuncta, Norduegia nunquam discrepante. Suecia uero alienum iugum ferre recusans, sæpe tentauit se à Dania seiungere. Tãtum Albertus fuit dimissus ex captiuitate hac conditione, ut scilicet intra triennium aut argentum persolueret sexaginta millium marcarum, aut urbem Stockholm cum arce traderet, aut in captiuitatem rediret. Rex reginæ uictrici tradidit urbem Stockholm, quæ se adhuc Danis non dediderat. Albertus itaq; omnem spem recuperandi regni abhincens, sua contentus fuit Magnopoli. Margareta itaq; trium regnorum potens regina cõsenescens, procerum suorum præhabito consilio, Ericum Pomeraniæ ducem adoptauit in filium. Ericus ergo rex factus trium regnorum, diu per Sueciam quæta habuit tempora, ut etiã uxor eius regina. Philippa regis Portugalliæ filia ibi frequenter maneret, & tandem ibi moreretur. Cum q; rex diuturna gereret bella, & opus haberet argento, emungeretq; Sueciã, quæ alijs opulentior uidebatur, regnicolæ testati sunt impatientiam aperta indignatione. Sed cum hæc ab Erico summis exciperentur auribus & non penetrarent ad corda, Engelbertus nobilis quidam rebellionem mouit in regno, Danici generis præfecto amouit & Sueticos substituit. Rex primum Engelbertum fategit terrere literis & minis, deinde nauigauit cum magna pernicie suorum, qui in mari perierunt, speras se placaturus tumultuantes, sed experimẽto discens omnes sibi aduersari, celeri se subductione in Daniã recepit. Tandem urbes maritimæ inter partes aduersantes talem fecerunt concordia, ut Ericus regni Sueciæ gubernacula teneret, Sueticos in regno arcibus præficeret, non Danos, regium cõsum, cum rex præsens esset, totum acciperet, absens dimidiũ: ueterem oppidis & uillis libertarẽ, mercatoribus sua priuilegia seruaret. Deinde cũ Dani ad exemplum Suecorum regem coartare uellent, pertesa illi in regno fecerunt negocia. Vnde collectis quæ uoluit secum de regno exportare rebus, in Prussiam enauigauit, omnibusq; se regni negocijs abdicauit. Christophorus inde princeps Palatinus & Bauriæ dux, Erici ex sorore nepos, cõcorditer eligitur à proceribus trium regnorum. Sic enim emporium tranquillitati maximè consulendum putabant. Is nihil in regno Sueciæ inuauit, sed cum Sueciam inuississet, comportatum regni thesaurum & à multis annis collectum, pro rata sua regem tangentem in mari amisit. Mortuo Christophoro Sueci nolentes cum alijs regnis communem habere regem, maluerunt ex corpore suo creare regem eumq; opulentissimum, nempe Carolum Canuti, ex infimo gradu nobilitatis electum. At ille uix septem in regno expletis annis, cœpit omnibus passim ordinib. grauis haberi. Quod ubi ille intellexit, collectis rebus suis, quas in priuata uita habuerat, regni aut thesauro in tuto loco deposito, nauim ingrediens Gdanũ proficiscitur. Tum nobiles regni Christiernum, quem Dani & Norduegi regem eligerant, in regnum uocant atq; coronant. Ita ius trium regnorum, rursus in unum coibat. Non longè post Sueci morerunt rebellionẽ in regem Christiernũ, quod pacta in susceptione eius cauta non obseruasset. Rex ergo anno regni Suetici 7. qui fuit Christi annus 1469. mouit cum ualida manu in Sueciam, sed incolæ adunati facile illũ represserunt. Habuit rex in hoc reũ statu adhuc duas arces in Suecia, unde Dani uexabant Suecos. Deinde rex rursus cum exercitu ueniens in Sueciam, inter angustias motium nihil efficere potuit. Cumq; inter hæc Carolus quondam rex Sueciæ moreretur, gubernatorem ex optimis militem constituerunt, qui conuocandis regni cõtib. & omnia uice principis gerendi haberet potestatem: marescalcũ nostri uocant, Galli conestabulũ, & Romani magistrum equitũ. Multa ueneratione Sueci uirum illũ habuerunt, parati etiam coronam deferre, si ambisset. Ioannes Christierni filius patri in duobus regnis suffectus Sueciæ quoq; regnum expectauit: & quidem Sueci illam acceperant, si conuentas dudum subisset conditiones. Sed ille, nisi liberam regendi potestatem haberet, contempsit. Sicq; in hoc rerum statu multi decurre-

Virilis animus reginæ.

Dux Pomeraniæ fit rex

Rex regno excluditur.

Carolus rex Sueciæ.

Christiernus fit rex in Sueciã.

Gubernator regni Sueciæ.

decurrebant anni, præsertim quum gubernator regni ea esset modestia, ut populus regem non desideraret. Rex Ioannes immensum colligens exercitum, misit in Sueciam, & post multas cædes sibi subiicit regnum. Cumq; rex componendis rebus inuigilaret, exoritur tumultus à populo, quod tam facile cessisset omne regnum regi. Rex uidens populi seditionem, clam excessit regno, regina relicta cum præsidio in arce. Historiâ hanc supra signaui in fine Daniæ.

## DE GESTIS CHRISTIERNI SECUNDI.

## Cap. XXX.

Christiernus Ioannis regis filius, magnis animis cœpit gerere paterna bella, atq; in primis annis fuit Sueciam armis occupare. Verum ubi uidet Suecos maioribus uiribus, concordibusq; animis propulsare hostem, ad artes conuersus, factionibus eos dissociare laborauit. Sollicitauit autem in primis Gostauum quendam titulo archiepiscopum Vpsaliensem, qui anno Christi 1517. plures ad defectionem perducens, contulit patriam proderet regi Christierno. Huius conatus præsentis Steno gubernator regni Sueciæ per interregnum, monet archiepiscopum ut desistat ab inceptis. At ille in sententia perseverans, obiidetur in arce Stecho. Danus audiens Gostauum periculum, lecto milite properat impedire obsidionem, sed à Stenone abactus, deserto episcopo rediit in Daniam. Tunc episcopus pœnitentiam simulans, spondet se admissurum quaslibet conditiones, modo oppugnatione omittatur. Fit conuentus regni, ubi decernitur quod episcopus abstineat Vpsalensi ecclesia, priuatusq; uiuat in paterno agro. Christiernus uidens caput totius factionis suæ exarmatum, rem cœpit gerere apertis uiribus, conscribit magnum exercitum, & in Sueciam transportat atq; obsidiõe cingit Holmiã regiam. Sed prohibitus per militem Suecum à pabulatione, cœpit exercitus eius fame tam acerbè laborare, ut ad infames cibos fuerit compulsus. Duo propè menses transierant ab aduentu in Sueciam, quod omnibus incommodis conflictabatur, nec reditus in Daniã dabatur, aduersantibus uentis. Conuersus ergo ad dolos, petit inducias bello. Steno concedit inducias, & præterea mittit in castra multa iuga bouum, unde confectum fame hostem subleuaret. Danus simulans ob exhibitum beneficium præcipuum fauorem in Stenonem, mittit in urbem obsides & euocat in castra Stenonẽ ad colloquium. Steno ut erat synceræ mentis id fecisset, nisi senatus Holmensis obstidisset. Danus uidens deprehensum dolum, aliam confingit fraudem. Ait se ingressurum in urbem, modo impetret obsides salutis suæ. Hic uerò Steno persuasus deligit nobilissimos ex iuuentute, in quibus fuit illustris Gostauus Erichson, hodie inclytus Sueciæ rex, atque hi se permittentes fidei Dani, ueniunt ad naues, atque illico comprehensi conijciuntur in uincula, & mox abducta naue, in Daniã se conuertit rex cum præda. Post hanc fugam quieuit Christiernus annos quatuor, quibus opes & militem confirmauit. Deinde mittit exercitum in Sueciam. Steno celeriter occurrit, fit pugna & præses ipse Steno in prima acie pugnans occumbit, non sine magno patriæ detrimento. Dissipato enim exercitu ob Suecorum factiones, Gostauus episcopus ex latebris prouolauit, inolescere incipiens. Rex contractis maioribus uiribus Holmiã rursum obsidet, conaturq; illam insidijs circumuenire. Vnde sollicitat senatum ad honestas conditiones, eoq; perducit, ut admitterent conditiones æquas, quo pax in reliquum esset: deinde capita proponunt conuentæ pacis: Rex patrias leges sibi inuolabiles seruet, ciuium libertatem infractam uelit, offensas remittat omnium, qui arma contra susceperunt. Danus habet hæc capita rata, imponitur religio sacramenti, adhibentur instrumenta quibus pacta & fœdera communiuntur. His artibus persuasi ciues, hostem intra mœnia recipiunt, sequunturque eos multi ex regno. Danus in suscepta dissimulatione durauit, donec se & militem recrearet arcemque communiret. Tunc uocat ad consilium Danos, aperit eis uoluntatem patrandæ cædis in ciues, rationem quarit, quo pacto cædes facta putetur se ignaro & inuito. Inter multa consilia placuit istud magis, ut rex publice conuiuia instituat per omnes ordines, eos uerò qui potentia & nobilitate præirent, uocaret in arcem, ita specie beneuolentiæ hospitali iure securos, citius obruere posset. Rex approbat consilium, instituit conuiuium, exhibet se hilarem: Sueci idem faciunt, ignari quod impensas forent hospiti

Gostauus archiepiscopus Vpsalensis.

Stockholmiã obsidione cingitur.

Steno gubernator Sueciæ occiditur.

*Christierni  
crudelitas.*

*Episcopi trū  
cantur capi-  
te.*

*Latrocinia  
in Stockhol-  
mia.*

*Inaudita cru-  
delitas.*

*Monachi ty-  
rannice peri-  
muntur.*

hospiti sanguine suo soluturi. Triduo durauit conuiuium, & tum immittuntur satellites, qui comprehendentes conuiuas conijciunt eos in carcerem. In diem sequentē portæ urbis communiuntur, præsidia intus per regiones disponuntur contra ciuilem uim, tubicines autem à prima aurora iussi edere terrificum clangorem per totam urbem; milites iussi adesse graues armis qui se efferaēt in truces uultus, deinde hostili fremitu & armorum concussione timorem omnibus incuterent perdendæ urbis: uidere etiam erat tormenta ænea disposita tota uia, quæ ab arcē ad forum omnia deiectura mixturaq; ruinas cum ciuibus. Aperitur deinde regia & producuntur duo episcopi, Scarcentis & Strenogenensis, inter medios carnifices, qui uelluntur, trahuntur & trudentur usq; ad supplicij locum, hæc erat area ante consularē domum, ubi prostrati in pauimentum truncantur capite. Post eos proceres producuntur, quicumque pro patria asserenda se strenue gessissent: inde ab arce trahitur senatus Holmensis & totus trucidatur. Proponitur postea tabula proscriptionum: hic satellites discurrunt per urbem & proscriptos perquirunt, nec ulli in urbe clausa erat fugæ remedium. Trucidatis omnibus qui designati erant fit impetus per militem in promiscuam plebem, quæ ad crudele spectaculum confinxerat & passim cæditur. Inuaduntur quoq; domus & inermia corpora ad carnificinam attrahuntur. Cum uerò adhuc multum plurima pars ciuium sese in obscura loca abiicissent, & sentiret Danus plurimum deesse crudelitati suæ, proponit edictum è domo consulari quo continebatur impunitas omnium, ibi infelices ciues quamuis toties decepti se credunt mendacibus edictis, & prodeunt in publicum, in quos priore exemplo immittit satellites & fit cædes tota die, sicut & sequentibus diebus cōtinuis reliquæ cæduntur. Et ut sauitia superaret omnes, corripit quendam Iohannē magnum, quem suffixit crucem nudis membris omnibus. Is diu de cruce loquutus, suam innocentiam Deo permisit: multa etiam ad ciues quæstus de statu rerum quò Danum irritauit, quare misit satellites, qui uirilia abscinderent, quæ abscissa proiecta sunt in faciem pendentis. Latrus postea est transuerberatum, & cor extractum, proiectumq; in faciem pendentis. Persecutus est autem præcipuè familiam Ribingam, adeò ut cum deesset iam cædi firma ætas, ad impuberes sit conuersus, quos compræhensos & coma constricta in nodum, suspendit à catasta, & immisit spiculatores, qui ceruices puerorum præscinderent, truncis corporibus decidentibus in terram. Corpora omnia occisorum comportari in forum iussit, subiecitq; oculis & satiauit ferum animum suo immani scelere. Triduo iacuerunt trunca corpora uolutata & foedata sanguine suo horrendum in modum. Post iussit omnia illa extincta cadauera per cloacarios eijci extra urbem. Cadauer Stenonis extraxit sepulchro, tantaq; rabie tyrannus correptus est, ut illud morsu appetiuerit, canis more. Exhausta ad hunc modum urbe uiris, ad rapinas conuersus fuit: uiduas & orbos parentibus liberos omnibus fortunis spoliavit, nulli rei prophanæ & sacræ parsum fuit. Quanto tempore tyrannus iste perpetravit, portas urbis tenuit clausas, ne qua fama cedis ad prouinciā perueniret, & bellum moueretur pro scelere uindicando. Discedens in itinere diuertit in monasterium quoddam, nomine Nouam uallem, ubi à monachis benignè excipitur, omniaq; pro facultate ministrantur. Simulabat tyrannus gratam sibi esse eam promptitudinem. Adijt templum in die purificationis Mariæ, sacrum spectaturus, nullum ubiq; indicium ostendens maleficij, quousq; monachi ab altaribus digressi sunt. Tunc iubet eos comprehendere, iniijci uincula, & in profluentem abijci. Abbas forte liberauerat manus & enatabat, sed ministri sceleris adnauigantes, hominē uulneribus appetunt, donec uiribus defectis mergitur. Sic tyrannus cæde & præda opimus in Daniā uenit. Præsidium quod is urbi Holmensi imposuerat, excursionibus, rapinis, cædibus & omni genere maleficiorum afflixit Sueciam, quin & Gostauus pseudoepiscopus militarem furorem æmulatus, possessiones ecclesiasticas exturbabat.

QUOMODO PRINCEPS GOSTAVVS EVASERIT CAPTIVITATEM & LIBERAVERIT PATRIAM. Cap. XXXI.



**I**llustris princeps Gostavus Erichson, id est, Erici filius obses adhuc in Dania, auditis tantis malis & calamitatibus patriæ, admissus in Dania ad uenationem cum reliquis nobilibus, cœpit cogitare quomodo elaberetur. Oblata ergo occasione, sequestratus à comitatu uenanti um, ad rusticos deflexit, plebeiaq; ueste indutus & adiutus mercatori cuidam, finxit se agasonem seu armentarium, quousq; ex regno Lubecum profugit, atq; hinc tandem in Sueciã translatus, rem supra etatem, sed magnitudini animi sui respondentem ausus, uindicem se profiteretur patriæ pereuntis, & quarto demum anno post initum bellum, mutato habitu & plebei hominis ueste sumpta circuit Sueciam, & popularibus exponit in quantis malis uersentur, nihilq; omnium emisit rerum, quibus ciues ad arma capienda excitaret. Addebant orationi gratiam egregiæ corporis dotes, & index singularis animi uigor. Itaq; eligitur in uindicem libertatis, legitq; militem ex Dalekarlis bellicosissima totius Sueciæ gēte. Illi enim

Gostauus uir  
tus.

montes habitant, qua Suecia ad Norduuegiã collimat, ubi fodinæ sunt argenti & æris. Sunt metallarij illi ad in-  
turtiam propulsandã supra omnes irritabiles. Hoc milite usus Gostavus aggreditur præsidium Danorum, quod Aorosia ciuitati impositum erat atq; deturbat. Hoc nouo casu exterritus episcopus Gostavus patriæ proditor uoluit opprimere inter initia surgentem uindicem. At Gostavus regius adolescens misso nuncio hortatur hominem ut resipiscat, satis flagitij hæctenus admissum. Episcopus bene monentem adeo superbe accipit, ut missas literas abiecerit & pede attriuerit. Gostavus qui nepos eorum erat, qui Sueciæ regnum habuerant, & suo iure patriam à uastatore repetebat, irritatio contumelia episcopi, Dalekarlum militem contra episcopum & præsidia, & superat. Episcopus ex fuga prolapsus Holmiam uenit ad reliquias Danorũ uidensq; Suecos indiem fieri confirmatiores, consilium capit noui militis adducendi, hocq; uoto in Daniam ad tyrannum nauigat. Sed neq; splendidè, neq; benignè exceptus est, neque postea in aliqua habitus autoritate apud tyrannum fuit. Causæ sunt qua ratione potuerit socius à tyranno in re communi desereri: una, perfidia ipsa qua in omnes erat æqualiter Danorum rex: altera, domestica agitatio, qua rediens exceptus fuit. Nam paulo post excidit regno. Episcopus uerò post exclusum regno regem, in glorius in Dania mansit. Christiernus autem aliquot annis uagus & inops, omni destitutus adminiculo alienas fatigauit aulas. Eoq; abiecto illustris princeps Gostavus contraxit iustas copias ex Dalekarlis, Suecis & Gothis, & reliquias Danorum quæ in Schondia resederant persequitur, Holmiam etiam obsedit, in qua nihil uirorum erat præter Danicum præsidium, quod difficilem reddebat loci muniti oppugnationem, tamen ducis & ciuium uirtute expugnatum in potestatem uenit, atq; urbs recepta fuit. Dux re bene gesta, & confecto ubiq; bello, dat militibus amplissimum donatiuum,

Gostauus episcopi peruersitas.

mare rursus aperit & securitatem facit omnibus nauigandi.

GOSTAVVS



**O**B insignia merita, quæ inuictus princeps Gostauus in patriam cōtulit, proceres regni qui adhuc supererant atq; oēs ordines Sueciæ & Gothiæ cōuenientes cōcordibus suffragiis eum sibi regem eligunt, traduntq; regni gubernaculum. Quo facto omnes boni uiri & regno bene cupientes gaudio perfunduntur & pro eius maiestate & diu incolumis maneat, uota ad Deum faciūt, ut regi domi perpetua rerum tranquillitas, foris pax & uictoria, utroq; statu saluus principatus sit, etiam rex in omni uita ita uirtutibus omnib. p̄stet, ut maximorum principum exēplo & meritō felicissimus optimusq; fausta acclamatio ne æternum salutetur. In hunc itaq; modum indytus rex Gostauus imperiū accipit in Suecos, Gothos & Finlandenses gubernaculūq; regni magna tenet prouidentia & modestia, pacem super omnia cōcordiam subditorum quærens & fouens. Et licet cum Smalandenses superiorib. annis turbationem excitauerunt in

regno, tamen regis prudentia & dexteritate illa seditio sic fuit sopita, ut hodie regnum diu optata fruatur tranquillitate & pace. Ad quam tranquillitatem fouendam non parū cooperantur docti & boni quicq; uiri: quos regia maiestas passim uocat ad regnū, amat & fouet, inter quos sunt eximie eruditionis uiri Georgius Normannus & Olaus Holmenensis concionator, quorum prior, quem etiā à facie & colloquio noui, quippe qui me hic Basileæ anno Christi 1543. adiit, uir syncerus, pius, & doctus, regionum filiorū, nempe Erici & Iohannis, bonæ spei adolescētum primum pædagogum egit, ac deinde ob eius egregiam eruditionem summamq; prudentiam, regionum consiliorum à secretis factus est, posterior uerò præter sacrarum literarum synceram cognitionem etiam in historijs expertissimus prædicatur, si hucusq; uir talis tantus sua euulgare cunctetur, expectans, ut puto, archiepiscopi Upsaliensis editionem, quam de rebus scripsit septentrionalibus, quam & nos iam aliquot expectauimus annis, sed pro uoto frui non potuimus.

Anno 1560. Gustauo Suecorū rege die 25. Ian. extincto, Ericus filius in administratione regni successit, qui postea anno 1567. malè cōpos mentis à gubernatiōe remotus est.

## DE FERTILITATE SUECIE:

## Cap. XXXIII.

Pelles nobilissimas.

**E** Numerauimus iam supra pro magna parte, quarum rerum Suecia sit ferax, nempe quod montes passim sunt metalli feraces, digeruntq; intra eos argentum & æs, & confluit in uenas, quantū opus perficere non possit officina minacibus ignibus. Inde quoq; ueniunt pelles nobilium ferarum præstantiores maxime uerò Sabellæ, quibus in orbe nostro precium prope immane, & æstimatio secundum aurum & gemmas est, inde exportantur. Capiuntur autem hyeme, quando pilus densior est & cuti fidelius hæret. Est terra Sueciæ multum mōtosa atq; ob id frumento ferendo non per omnia apta, pecorum uerò est diues, & prouentu immenso piscium ex fluminibus, lacubus, & mari, uenationibus quoq; ferarum.

FINLAN-



Finlandia dicta est pulchra terra quod pulchrior & amœnior Suecia sit. Plinius uide-  
tur eam appellasse Finnoniam à qua & sinus Finnonicus. Habuit olim titulum re-  
gni, tanta est eius amplitudo, nunc uerò titulum habet dinastiae. Tenuit eam superiori  
aetate Sclauorum gens & lingua fuitq; Graeciritus, quàm diu dominum habuit Mo-  
schum. Hoc uerò tempore sub rege Sueciae existit, & communionem occidentalis ec-  
clesiae tuetur. Vina Hispanica per Balticum mare inferuntur multa copia, & quo ea gēs  
ad hilaritatem utitur. Habitatores eius post Suecos agnoscere cœperunt Christum  
sub Erico rege Sueciae. Excellit hæc terra Sueciam in frumenti feracitate atq; bonitate,  
quia plana est pro bona parte non tam montosa & paludiosa ut Suecia. Loca eius infi-  
gniora sunt, Gusta castrum, Abo ciuitas episcopalis, Rasburgum, Viburgum, Kærelia  
ducatu est &c. Abo non multum abest ab Vplandia. Viburgum uerò tenet extrema-  
tem Finlandiae uersus Russos & Moscouitas, estq; totius regionis propugnaculum seu  
praesidium contra eas gentes. Est quoq; emporium, ad quod Rutheni magna frequen-  
tia ueniunt. Polum septentrionalem aiunt in hoc oppido attolli supra horizontem gra-  
dibus 61. & dimidio. Longitudinem numerant 78. gradus. Stockholmia uerò nume-  
rant latitudinem 61. graduum & longitudinē 64. grad. Habent Phinnones perpetuam  
pugnam cum Moscouitis in sinu Finnonico: aetate quidem naualem & hyeme glacia-  
lem. Quàm populosa olim fuerit ista & aetate circumiacentes regiones, testantur magni  
& egregij quidam uiri, nempe Methodius martyr, Iordanus Gothus & Paulus diaco-  
nus, qui scribunt populos hinc instar apum emigrasse, appellantq; hanc septentrio-  
nalem regionem uaginam seu officinam gentium: potissimum autem signantur hinc  
egressi isti populi.

Finlandia sub  
Suecia.

Viburgum.

Gothi	Parthi	Suiceri	Sembi
Ostrogothi	Suedi	Tahiphali	Liuni
Vestrogothi	Longobardi	Dani	Sciri
Gepidae	Turcilingi	Daci	Nortmanni
Samogetae	Auares	Sclau	Picti
Massagetæ	Heruli	Rugi	Carpi
Huni	Vainuli	Alani	Caibi
Amazones	Sueui	Burgundi	Cimerij
Cimbri	Bulgari		

Quantum attinet ad linguam Finlandiae, notabis, incolis duas in usu esse linguas: A  
Viburgo ubi magna ex parte Sclauonicè loquuntur usq; ad Borgam aut Sibbone in iu-  
xta littus maris utuntur hodie lingua Suecica, in mediterraneis uerò usus septentrio-  
nem propriam habent linguam. In limitibus autem utranq; tenent. Vnde & in quibus-  
dam locis contiones fiunt duplici lingua. Suecica lingua eadem ferè est cum Gothica,  
Danica & Nortuegica, nisi quod suos habet dialectos. Communicat in multis cum  
Germanica lingua, unde fluxit, id quod potes deprehendere ex dominica oratione, quã  
hic in Suecica lingua uolui signare, ut à doctis uiris in Suecia natis mihi est exhibitã.

EEE DOME

**F**ader uuar som er i himlum, heiligat uuarde dit namen, tilkomen tit rike, fcke din uuillige, som i himlum so ope iordene, uuar taglig brooh gif os i tag, uerlath os uuar ren sculd som uui uerlättem uuarre sculdiger, och inledh os icke i frestille, utan i ljs os i froonda, Amen.

At lingua Finnonica ut in mediterraneis locis inuenitur, in nullo communicat cum sermone Suecico, sicut nec cum Moscouico, sed est propria Lapponum, populorum interioris septentrionis.

Panem  
Domum  
Ciuitatem  
Hominem  
Cascum  
Canem  
Regem  
Nauem  
Deum  
Terram  
Diem  
Malum

uocant Lappones &  
interiores Finnones

Leipä  
Honeh  
Caupungi  
Ichminen  
Iuhsto  
Coira  
Konig, quod est Germanicum  
Laiua  
Iumala  
Ma  
Peiuua  
Paha

Dominica oratio in lingua Lapponica & Phinnonica, quä  
& Liuones quidam utuntur.

Pater noster qui es in caelis, sanctum fiat tuum nomen, adueniat tuum  
Iä meidhen ioko oledh taiu ahissa, pühettu olkohon sinu nimesi, tulkohon sinu  
regnum, fiat tua uoluntas sicut in caelis sic in terra, nostrum  
uualtakun tasi, olkohon sinu tahrosi kuuuin taiuahissa nyn man pällä, meidhen  
quottidianum panem da nobis haddie, & da remissionem nobis peccatorum sicut  
iokapaiuuen leipä anna meilen tänpaiuuäne, ia anna anteixe meiden syndiä kuuuin  
nos remittimus nostris contrarijs actoribus, & ne induas nos in tentationem sed libera  
mõe annamma meden uastahan rickoillen, ia äle sata meitä kin sauxen, mutta pästä  
nos a malo, Amen.  
meitä pahasta, Amen.

Notandum quod reges Sueciæ postquam suo regno, subiugarunt Finlandiam, mul-  
tos constituerunt in ea præfectos, unus manet prope Viburgium in castro extructo in  
ipso lacu: alius Borgæ in littore Phinnonici sinus, alius Chronenburgi iuxta lacum Pien-  
te, qui loco regis populo ius dicunt. Sunt quoque & aliæ arces atque oppida prope Vibur-  
gium, præsertim legaburg, Netaburg, Kexholm, sed quæ Moschus subtraxit regno Sue-  
corum. Munitiones uerò citra fluium extructæ cum adiacenti agro, ut sunt Lappane-  
si, Kiuineb, Neuukirch, &c. adhuc parent regi Suecorum.

ISLANDIA. Cap. XXXVI.

**I**nsula Islandiæ quæ per immensum à cæteris secreta  
longe sita est in Oceano, uixque à nauigantibus agnosci-  
tur. In ea æstiuo solsticio, sole signum cancri transeunte  
nox nulla: brumali solsticio perinde nullus dies. Nomen  
habet à glacie quæ illi ad boream perpetuò adhæret. Nam  
ibi iam incipit mare congelatum. Tam grandis insula, ut  
populos multos contineat, solo pecorum pastu & nunc  
captura piscium uictitantes. Specus habitant plerun-  
que aut ad montium latera in excauatis mansuencu-  
lis. Communi teçto, uictu, & stratu gaudent cum iu-  
mentis. In simplicitate sancta uitam agant, cum ni-  
hil amplius quarant quam natura concedit. Nam &  
montes habent pro oppidis & fontes pro delicijs.  
Beata

Mare glaciale.



Beata gens cuius paupertati nemo inuidet, & inde beator quod Christianismum accepit. Sed mercatores Anglici & Dani quiescere gentem & suo esse contentam non sinunt. Nam ob piscaturam euehendam, terram illam frequentates, cum mercibus omni-genis uitia quoque nostra inuenerunt. Nunc enim & fruges aqua miscere, in potum didicerunt & simplicis undae oderunt haustum. Nunc aurum & argentum cum nostris admirantur. Rex Daniae qui & Norduegiae, quotannis praefectum immittit genti. Obent in praecio, nisi quod a pauperioribus facilius impetres filium quam catulum. Episcopum suum colant pro rege, ad cuius nutum respicit omnis populus. Quicquid ex lege, ex scripturis et ex consuetudine aliarum gentium constituit, quam sancte obseruant. Iam tamen praefectum accipere coguntur a rege. Piscium tanta est copia in hac insula, ut ad altitudinem domorum sub aperto caelo uendendi exponantur. Nam illic uictitant plerumque piscibus propter magnam penuriam frumenti, quod aliunde a maritimis ciuitatibus infertur, & qui inde cum magno lucro pisces reportant. Habent Islandi pro insignijs coronatum piscem. Sunt qui hanc insulam putant esse Thylen, a ueteribus multum celebratam. Incolae res memorabiles maiorum & sui temporis celebrant cantibus & insculpunt scopulis atque promontorijs, ut nulla nisi cum naturae iniuria intercidant apud posteritatem. Insula multa sui parte est montosa & inculta. Qua autem parte est plana, praestat plurimum pabulo tam laeto, ut pecus depellatur a pascuis, ne ab aruina suffocetur. Sunt in hac insula montes elati in caelum, quorum uertices perpetua niue candent, radices sempiterno aestuant igne: Primus qui occidentem uersus est uocatur Hecla, alter Crucis, tertius Helga, id est, sanctus. Ab Hecla non longe absunt fodinae sul-

Islandia sub  
rege Danie.

Hecla mons.



furis, pene unicum incolarum mercimonium & uectigal insulae. Mercatores enim naues eo onustas euehunt. Mons ipse cum furit, ut horribilia tonitrua insonat, proijcit ingentia saxa, sulfur euomit, cineribus egestis terram tam longe circumcirca operit ut ad uicissimum lapidem coli non possit. Qui naturam tanti incendij contemplari cupiunt, & ob id ad montem propius accedunt, eos una aliqua uorago uiuos absorbet. Nam & multae sunt & cineribus ita tectae, ut ab ipsis sibi satis cauere nemo possit, atque etiam prope exit ignis, qui consumit aquam, stuppam autem non comburit. Is locus a quibusdam putatur esse carcer sordidarum animarum. Glacies enim discretae & in plurimas fracta particulas, octo mensibus circumfluitat insulam, & magnis molibus littori illisa, sua attritione ad petras horrendum addit sonum, referentem miserabilem humanae uocis gemitum & ciulatum, quod fidem facit apud insipientiores, hominum animas ibi in frigore tormantari.

Uentur incolae loco panis, quia apud eos non crescit, piscibus induratis & in farinam contritis. Adfertur tamen eis ex maritimis ciuitatibus frumentum, sed non ad sufficientiam. Comperiuntur illic spiritus se exhibentes manifestos humanis ministerijs, praesertim autem submersorum siue alio uiolento casu enectorum spectra sese offerunt congressibus notorum hominum, tam manifeste, ut tanquam uiuentes accipiantur ab ignis mortis illorum data dextra, nec deprehenditur error priusquam spectrum disparet. Requisite a notis & amicis ut domum redeant, dicunt magno gemitu, se petere montem Heclam, illicoque euanescent.

LAPONIA.

Cap. XXXVII.

Dicta est Laponia a populo quo habitat. Vocant autem Germani Lappones eos qui parum idonea rei praesenti dicunt & faciunt, quos Romana lingua quis dicet ineptos, insulos, bardos. Sunt uero Lappones staturae mediocris & corpore usque adeo agili, ut accincti pharetra & arcu transmittant se per circulum diametri cubitalis.

EEE 2 Artem

1000 DE REGNIS SEPTENTRIONA.

Artem iaculandi docentur à pueris, nec puero datur cibus priusquam attigerit sagitta

Laponum ne-  
stium.



propositum signum. Veste utuntur stricta & toti aptata corpori, ne quid impediamenti faciat operi. Hyeme utuntur ueste pellibus integris phocarum siue urforum artificiose laboratis, easque astringunt supra caput, solique oculi patent, corpore reliquo toti contexti sunt, qualisque in culeum insuti. Hinc fortasse creditum, quod sint corpore, hirsuto instar brutorum. Sic uero arte & industria muniti Lapones, perferunt foris hyemes & aquilones & omnem iniuriam à caelo. Domos non habent, sed tabernacula quasi castrensia, mansionesque saepe transferunt. Venationibus plurimum student, quia est magna copia ferarum apud eos, estque nefas si mulier exeat tabernaculum ianua, qua uir eo die est ad uenationem profectus. Agrum non colunt. Terra non fert serpentem, sed culices illic sunt grandes & infesti. Pisces capiunt plurima copia, hocque prouentu uiuunt Ichthiophagorum Aethiopum more, atque ut hi feruore nimio, sic illi frigore ex-

Ichthiophagi.

coquunt pisces & edomant in farinam. Tantum denique superest capturae, ut eius plurimum condant in cetarijs & exportent in uicinas terras. Nauigijs utuntur nullis clauis sed neruis & uiminibus compaginatis. Pars artificia exercent, pingunt astu ad delicias & faciunt uestes intextas auro & argento. Naues & dolia atque omne instrumentum domesticum probe fabricant & exportant ad uiciniam. Commertia permutatione & pecunia agunt mutuo consensu tantum, & nullo sermone communicato, atque istud non propter ingenij inopiam & mores brutos, sed quod linguam habeant peculiarem, asperam & plerumque ignotam uicinis. Gens ualidissima est & diu libera fuit, armaque sustinuit Norduegiae & Sueciae, donec concessit tandem sub imperium & tributum pedis Reen, nostri autem Reinen & Rainger uocant. Hac fera est iuxta magnitudinis, pilo

Rangiferi.



propè asini hirsuto, ungulas habet bifidas & cornua ramosa instar cerui, sed tenuiora & longiora, lanugine quadam obducta, & ramis rarioribus. Equitem dorso non fert, sed antilena imposita iungitur uehiculo. Assequitur 24. horarum spacio 150. millia passuum, id est, triginta milliaria Germanica, quod indicium est magnae pernicitatis magnarum uirium ferae. Hanc Historiam, inquit Zieglerus, putarim ueteres quoque agnouisse, sed obscura & dubia quasi fama exceptam: siquidem aiunt Scythas quosdam equitare ceruos. Quando rangiferi in cursu sunt, lento uel celeri, ex tibiarum & articularum agitatione ad instar nucum collisionis crepitus auditur. Lapones suo pte & à maioribus recepto instituto sunt ido-

Fides Laponum

lolatras, & religionem Christianam neque sequuntur, neque etiam refugiunt, sed subinde admittunt in gratiam regum quibus parent. Statuas etiam lapideas in montibus erectas pro dijs habent. Si Christiani reges et praesules magis fide curassent plantare in hoc populo quam uectigalia exigere, iam dudum sincerius agnouissent Christum. Foederant coniugia eaque auspiciantur igne & silice, mysterio coniugali apto. Ut enim silex latentem in se ignem habet, qui concussione emicat, sic in utroque sexu est recondita uita quae

quæ tandem profertur mutua copula in prolem uiuentem. Dicuntur præterea incantatores esse per efficaces miraq; magica operari arte, quod alij negant. Quando interioribus Laponibus sol occidit post æquinoctium autumnale, habent noctem unam continuam per tres ferè menses, quo tempore non habent lucem meridianam, nisi qualem crepusculum apud nos habet, & quando sol ante æquinoctium uernum redit ad hemisphærium, diem illum solenni celebrant festiuitate.

## GRVNLANDIA. Cap. XXXVIII.

**I**nterpretatur Grunlandia uirens terra, sic dicta ob insignem prouentum pabuli. Cuius & pecoris quanta sit copia hinc licet spectare, quod sub tempore quo ad eos nauigatur cõponunt promercales ingentes strues butyri & casei, unde etiam coniectamus terram non esse asperam montibus. Episcopales ecclesias duas habet sub ordinatione Nidrosiensis archiepiscopatus. Populus negligentia pastorum ferè relapsus est ad gentilitatem, alioqui ingenio mobilis, & magicis artibus impensè deditus. Feruntur magice artibus & carminibus ciere tempestates maris & inuoluere periculis peregrinas naues, quas sunt prædaturi. Ipsi enim scorteis & subtilibus nauigis utuntur, tutis à quassatione maris & scopulorum: ad hunc modum laborantes alias adoriuntur.

## EXPLICATIO MONSTRORVM QVAE IN SEQVENTI TABV

la uides suis picturis in aquis & terris designata. Literæ ABC, &c. hic & in tabula signata, mutuam, inter se habent relationem.

## Cap. XXXIX.

**A**Cete grandia ad instar montium prope Islandiam aliquando conspiciuntur, quæ naues euertunt nisi sono tubarum absterreantur, aut missis in mare rotundis & uacuis uasis, quorum lusu delectantur, ludificentur. Fit etiam aliquando, ut nauæ dorsa cetorum, quæ insulas putant, anchors figentes sæpe periclitantur. Vocantur autem lingua eorum Trolual, id est, tufeluaem, diabolica cete. Multi in Islandia hodie costis & ossibus huiusmodi balenarum construunt domos suas.

**B**Horrendum genus magnorum monstrorum, quæ physeteres appellantur, quorum Solinus post Plinium mentionem facit. Hæc balena erecta, etiam grandem submergit nauem, haustam aquam per foramina frontis in nimbi modum exuffans.

**C**Hydræ seu serpentes reperiuntur in mari Septentrionali longitudine 200. aut 300. pedum, quæ se immergunt nauibus, ad euertendas eas, nauisq; maximè incommo-  
dant, præsertim æthiops flantibus.

**D**Monstra duo marina maxima, unū dentibus truculentū, alterum cornibus & uisu flammæ horrendum, cuius oculi circumferentia continet mensuram 16. uel 20. pedum. Caput est quadrangulum cū magna & longa barba, posterior uerò pars est parua.

**E**Gulo insatiabilis, in lingua Suecia Ierff, Germanicè uerò *Vilfrass*: quod animal inter arbores uentrem stringendo exonerat & purgat, & tunc rursus currit ad cibum, & ueniens uenator percutit ipsam sagitta propter pellem qua utuntur nobiles, quia est pulchra. Sed qui portant tunicas illas mutantur ferè in naturam talium animalium.

**F**Rangiferi uulgo Reinen: gregatim domesticantur, & curribus applicati cursu superant equos uelocissimos, præsertim in niue. Præbent etiam lac ad domesticum utum. Habent cursum uelocissimum, perficiuntq; una die ferè 30. miliaria Germanica. Sunt autem maiores ceruis, gregatimq; ut pecora incedunt. Cornua habent amplissima sed tenuiora cornibus ceruorum & cum paucioribus ramis. De his & supra in Laponia diximus.

**G**Longe ultra Sueciam in interioribus septentrionis in regione Biarmia appellata, sylua est magna, quam extendi asserunt octoginta miliaribus, uocaturq; Landsruck, quæ nutrit ingentem numerum illarum syluestrium ferarum, à quibus nobiles extrahuntur pelles, ut sunt marduri, Zabelli, Hermilini, Lynces, Lutræ, uarij piroli, & castrorum ingens ubiq; uis.

**H**Monstrum est marinum horribile uocaturq; Ziphius, & deglubit phocam, quam interpretantur Germanicè *Selehund*.

**I**Anates nascuntur ex fructu quarundam arborum, de quibus supra in Scotia nonnihil scripsimus.

**K**Monstrum marinum, nonnihil porci referens similitudinem, uisumque est anno domini 1557.

**L**Genus est balenæ, ab alijs Orka dicta, quæ apud Noruegos uocatur Springual propter agilitatem eius, habetque in dorso sublimem & latum gibbum.

**M**Cancræ insigni magnitudine, quos gambaros uulgo humeren uocant, & sunt tanti roboris, ut hominem natantem forcipe comprehensum opprimant.

**N**Monstrum rhinoceroni simile, deuorat gambarum seu cancrum 12. pedum, habet nares cornutum & acutum sicut & tergum acie quadam fastigiatum.

**O**Lynx est, quod genus animantis inuenitur in interioribus partibus Sueciæ in regione Helsingiæ. Communicat in natura nonnihil cum lupo & capiuntur sæpe in foueis luporum, deuorantque cattos syluestres.

**P**In interiori Sueciæ onagri siue alces uelocissime currum seu rhedam per niues trahunt. At in Gothia id non permittitur, ne propter uelocem cursum eorum terra exploretur. Congregantur tempore hyemali alces gregatim super glaciem, ineuntque certamen contra lupos, qui conantur eos in niue deuorare. Suprà depinximus figuram huius animalis, quantum licuit habitudinem corporis eius penicillo exprimere.

**Q**Phasiani siue galli syluestres latitant duobus aut tribus mensibus sine omni cibo sub niue, exploranturque sæpe per uenatores.

**R**Onocrotalus auis anseris non minor, repleto aquis gutture, maximum emittit sonum instar asini rudentis, quare & onocrotalus appellatur. Habet strumam in modum sacci sub rostro.

**S**Clementia notatur piscium, qui uulgo Rocken uocantur & Italicè Raya. Nam submersum hominem ne à beluis marinis deuoretur conseruant & tuentur.

**T**Vocatur monstrum istud uacca marina, quod habeat caput conforme uaccæ terrestri.

**V**Multa alia genera atque mirabiles formæ animalium, piscium & auium inueniuntur in septentrionalibus partibus, de quibus magnus liber edì posset, si quis diligenter in illa regione aduerteret, quibus speciebus Deus illam frigidam zonam ornare uoluit. Ut enim zona torrida in Africa sua peculiaria & mirabilia habet animalia, quæ ægre uiuere possunt extra calorem illius regionis, sic uicissim creator frigidæ regioni septentrionali sua propria dedit animalia, quæ solis æstum ferre nequeunt, ut sic

Deus ubique mirabilis uideretur, & homo in omnibus mundi partibus inueniret creatas, per quarum aspectum raperetur in admirationem sapientiæ & potentiae Dei.

TABVLA

# TABVLA MONSTRORVM

marinorum atque mirabilium ferarum, quæ

in partibus Septentrionalibus, tam in terra quàm mari inueniuntur.

Literæ monstris additæ, extra tabulam ostendunt, quid per singula monstrosa animalia intelligatur.

dunt, quid per singula monstrosa animalia intelligatur.

malia intelligatur.

EEE 4 Monstra



terrestria

in partibus aquilonis inueniuntur.



**SERENISSIMO AT-**  
**que inuictissimo Principi ac Domino, Do-**  
 mino Ferdinando Romanorum Regi semper Augusto, ac Germaniæ,  
 Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ, &c. Regi, Infanti His-  
 paniarum. Archiduci Austriæ, duci Burgundiæ, &c. Marchioni  
 Moraviæ, &c. Comiti Tirolis, &c. Domino suo de-  
 mentissimo Sebast. Munsterus summam  
 optat felicitatem.



**D**ESCRIBERE uniuersum habitabilem orbem, secundum tot eius in-  
 quas scinditur partes, quod saxum iam multis uoluo annis, illustrissi-  
 me atque potentissime Rex, ingenium exigit exercitatissimum, multa  
 suffultum lectione, & quod multa uidit, multa audiuit & expertum est,  
 nec id adhuc satis erit, nisi & iudicium adsit perspicax quod uerum à  
 falso discernat & certum à dubio. Hic leues & uagi circulatores non  
 audiendi, qui ut uulgò acceptiores in maioriq; admiratione sint, adeò nefandissime  
 absq; omni uerecundia plerunq; mentiuntur, ut non solum ipsis nulla fides habeatur,  
 sed nec cuiq; alij optimæ fidei scriptori credant. Nihil huc afferendum, quod non testi-  
 monijs autorum fide dignis probetur. Culpatur ergo merito quorundam ueterum li-  
 centia, qui quoties de origine rei cuiuspiam parum constaret, statim ad tabulas confuge-  
 runt. Nec hic tam elegantia uerborum studendum, quàm rebus ipsis, quibus & ueritas  
 patescit, quæ in primis historiam scribenti cordi esse debet. Historia præterea eiusmodi  
 est, ut non solum prodesse uelit, sed & delectare, nisi Plinium delirare credat aliquis, qui  
 historiam rem adeo popularem iudicauit, ut quoquo modo scripta esset, nō posset non  
 placere & delectatione aliqua afficere, id quod nemo non apud se aduertit, quando in  
 factum aliquod mirabile simplici conscriptum sermone incidit. Tunc enim animus sic  
 in rei admirationem rapitur, ut uerborum elegantiam non aduertat, etiamsi nō negem,  
 multos delectari tam cultu sermonis quàm rei ueritate. In qua re non nescius sum, me  
 laborem uiribus meis maiorem suscepisse. Nam exuperat professionem meam & facun-  
 diam, foretq; hominis alioqui doctioris me officium, præsertim quum nihil magnum  
 sine magno labore permissum sit mortalibus, ut dicit Ethnicus. Deinde quod proxi-  
 mum est, uix omnibus per me satisfiet, atq; ut in apertum altiusq; res euadunt, ita mul-  
 torum iudicijs exposita omnia cernuntur, ea quæ sibi quisque uel suo iudicio tribuit uel  
 facilia putat, æquo fert animo atq; æternis laudibus exornat. At si quid contra opinio-  
 nem uel uerissimum scripseris, hoc ut supra captum & uires cuiuspiam, ita protinus fal-  
 sum quoq; habetur. Præterea ubi de bonorum uirtute atq; gloria agitur, ut gratiæ uel  
 odij stimulus est, eleuatur, quum uerò de malorum uitijs & sceleribus est sermo, pleriq;  
 supra quam credibile est & prudentes decet, in bilem efferuntur. Addit hæc nostra cor-  
 rupta ætas (cui omne alienum ludibrio est & sua cui maxima uidentur) non paruum ab  
 incepto terrorem. Verum dum rerum gestarum omnium gentium scriptores conside-  
 ro, nonnihil consolationis accedit, quod passim doctissimi etiam ab his calamitatibus  
 non fuere exempti. Nam sunt quidam tam iniquo animo, ut putent etiam obtrectatio-  
 ne alienæ scientiæ famam sibi posse aucupari. Sed his præfractis hominibus contem-  
 ptis, quibus nemo satisfacere potest, tibi inuictissime Cæsar Ferdinande atq; bonis qui-  
 busque uiris, potissimum in publica constitutis administratione, hunc nostrum offeri-  
 mus laborem legendum & excutiendum, quibus post sacram scripturam nihil utilius,  
 nihil gloriosius, iucundiusq; magis, quàm uersari in historijs & Cosmographorum scri-  
 ptis, cognoscere qua religione, quibus moribus, qua regiminis forma, quibus legibus  
 institutisq; aliæ per orbem gentes uitam traduxerint & hodie traducant: quarum re-  
 rum

rum hæc uel illa terra sit ferax, quo fato alia ciuitas incrementa, alia uero decremēta acceperit, quàm inconstans aut diuturna sit rerū permanentia, ut cum uolentibus seculis noui mores, nouæ semper res placeant prioribus antiquatis, ita quæ in præcio pridē fuit maxima apparet sesequē prodit in regnorum minorumq; terrarum administrationibus. Exempli loco nobis esse potest Vngariæ regnum, tuæ maiestati iusto titulo subiectum, quod semper peregrinorum sedes fuit populorum, & subinde suos mutauit dominos, ut historiæ in sequentibus inductæ ostendunt. Cuius cum tu hodie legitimus sis Rex, & primus moderator, uolui illius succinctam quoque tui nominis gratia facere mentionem, ne illam Europæ bonam partem præterisse, aut potius neglexisse uidear. Tu itaque, serenissime Rex, hæc nostra scripta, quæ ex multis præclaris rerum scriptoribus iam multis annis non sine maximis laboribus congepsi, & quantum ingenio atque industria potui, in ordinem redegi, non solum in Vngaria, uerum & in alijs autis regnis & imperijs tuis, Romano scilicet, Bohemico & Austriaco, regia & serena suscipe fronte, & animi potius obsequium quàm muneris rationem tua expendat Maiestas, quam Dominus Deus in æuum saluam conferuet. Basileæ mense Februario, Anno ab incarnato mundi saluatore

M. D. L.

Vngariæ & omnium partium eius  
uniuersalis descriptio.



DESCRIPTIO